ACTA
ELECTIONIS PRIORIS PROVINCIALIS
ORDINIS PRAEDICATORUM
PROVINCIÆ REGNI CITRA—PHARUM

PERGESTA

IN CONVENTU S. DOMINICI MAJORIS

IN NEAPOLI

DIE 1 MAII 1830

CONFIRMATA

A Rmo. P. MAG. F. THOMA ANCARANI

VICARIO GENERALI ORDINIS PRAEDICATORUM

REGIOQUE BENEPLACITO MUNITA.

NEAPOLI

EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS PHILOMATHICAE.

1830.

ACTA CAPITULI PROVINCIALIS,

CELEBRATI IN CONVENTU S. DOMINICI MAJORIS DE NEAPOLI DIE I. MAII ANNI 1830.

Denunciationes.

Art. 1. Denunciamus, die 28 mensis Aprilis an. 1830, habito Consilio Patrum Provinciae, electos fuisse in Revisores requisitorum, ad votandum, adm. R. P. Magistrum Ex-Provincialem F. *Josephum Spasiano*, adm. R. P. Magistrum F. *Dominicum Travaglini*, adm. R. P. *F. Vincentium Capochiano* Magistrum, et adm. R. P. Magistrum *F. Joannem Baptistam Liguori.*

Art. 2. Item denunciamus, die prima mensis Maii anni 1830 in Regali Conventu centrali S. Dominici Majoris de Neapoli, convenientibus Patribus Vocalibus Provinciae Regni *Citra Pharum*, unanimi suffragio canonice electum fuisse in Priorem Provincialem ejusdem Provinciae Adm. R. P. Magistrum *F. Vincentium Maria Ajello*, et litteris patentibus a Reverendis. P. Magistro *F. Thoma Ancarani* Vicario Generali Ordinis Praedicatorum confirmatum, sub die tertia Mensis Maii an. 1830.

Art. 3. Item denunciamus, eadem die fuisse canonice electos in Diffinitores pro Capitulo Generali Adm. R. P. Magistrum Ex Provincialem *F. Aloysium Montera*, et in Socium Adm. R. P. Magistrum *F. Joannem Talia.*

Art. 4. Item denunciamus, eadem die fuisse canonice electos in Diffinitores Capituli Provincialis Adm. R. P. Magistrum Ex Provincialem *F. Joachimum Perna* pro natione Neapoletana; Adm R. P. Magistrum *F. Paschalem Calò* pro natione Apula; Adm. R. P. Magistrum *Raymundum Caroselli* pro Natione Aprutina; et R. P. Bacc. *F. Vincentium Grisolia* pro Natione Calabra.

Art. 5. Item denunciamus, futurum capitulum Provinciale celebrandum in Conventu nostro S. Petri Martyris de Neapoli.

POSTULATIONES

Pro graduandis.

Art. 6. Petimus, ut P. Bacc. de loco *F. Dominicus Tammaro*, qui Romae coram Reverendissimo examen *ad gradus* subiit, pro quo est alia postulatio in anterioris Capituli actis, sit gradu Magisterii, vulgo dicti *di prediche*, decoratus. Nam, in examen revocatis ejus requisitis, inventum fuit quamplurimos cursus quadragesimales in locis conspicuis, et insignibus Cathedralibus, non exclusa Cappella Regia Palatina, peregisse: testaturque Definitorium, postulatum tali apostolico munere laudabiliter fungi.

Art. 7. Petimus, ut P. Ex-Magistro Studentium *F. Ignatio Invitti*, ita recognito a Reverendissimo in actis transacti capituli, biennium lectoris laudabiliter gestum in Conventu Gallipolitano ad Novitios studentes istruendos, valutetur pro Baccalaureatu Ordinario.

Art. 8. Petimus, ut R. P. L. *F. Vincentius Aloysius Pugliese*, qui Neapoli examen subiit coram Reverendissimo *Velzi*, ob biennium laudabiliter gestum ad imbuendum literis humanis educandos, valutetur, et decoretur Baccalaureatu.

Art. 9. Petimus, ut R. P. L. *Marianus Ricciardi*, cujus sufficientia requisita in Diffinitorio ad examen sunt discussa, et qui gaudet paternis promissionibus Reverendissimi Vicarii Generalis *Velzi*, decoretur Baccalaureatu *de loco*: eumque commendamus justitiae Patris Reverendissimi.

Pro Praedicatoribus.

Art. 10. Petimus, ut P. *F. Dominicus Liberatore*, qui ex praesbytero seculari, octo ab hinc annis habitum Ordinis induit: qui in habitu Ordinis tres cursus quadragesimales Cosentiae, Luceriae, et Civitatis S. Angeli, praeter alios antiquiores, gessit, quique nunc Praedicatoris annualis munere fungitur, promoveatur ad Praedicatoriam Generalem Conventus Pinnae.

Item, ut P. Bacc. *F. Ioseph Sammartino* promoveatur in Praedicatorem Generalem Conventus Maliani.

Item, ut P. *F. Hyacinthus Mondelli*, olim Praedicator Generalis Conventus Montisleonis, transferatur pro Conventu S. Georgii; pro qua re fuit in alio Capitulo eadem postulatio.

Item, ut *P. F. Dominicus Stasi*, qui cursus septennii egit, quique nunc Praedicatoris annualis munere fungitur, promoveatur in Praedicatorem Generalem Conventus Neocastri.

Item, ut P. Bacc. *F. Vincentius Grisolia* promoveatur in praedicatorem generalem Conventus Suriani: et P. *F. Vincentius Gramantieri* pro Conventu Altimontis; qui nunc est praedicator annualis Conventus Regii.

Item, ut P. *F. Aloysius Dechiara*, olim preadicator Conventus Celici, nunc litteris patentibus muniatur pro Conventu Cosentiae.

Item, pro Apulia, petimus ut P. L. *F. Benedictus Deserio* promoveatur in Preadicatorem Generalem pro Conventu Barii, et P. L. *F. Dominicus Sogliano* pro Conventu Gallipolitano.

Pro Magistris Novitiorum.

Art. 11. Petimus, ut P. *F. Vincentius Coiro*, septuagenarius, qui receuter habitum Ordinis denuo induit, quique olim Magistri Novitiorum munere functus fuit in Novitiatu simplici tum Materae, tum in alio Tarenti, privilegio donetur dandi vocem in Capitulo Provinciali.

Art. 12. Petimus confirmari electionem in Magistrum Novitiorum Novitiatus S. Dominici Majoris R. P. L. *Vincentii de Luca*, et in ejus defectum R. P. L. *F. Aloysii Maria Sbordone*, et in huius carentiam R. P. Bacc. *F. Antonii Maria Coscione* (cui designandus Pedagogus). Quumque P. *F. Vincentius de Luca* huius muneris biennium summo zelo, et studiosissimo labore, nuper egisset, petimus, et enixe deprecamur, ut illum in tali munere reintegret, et litteris patentibus muniat,

ad sexennium, vel minus, vel amplius, uti Reverendissimo videbitur; indeque condignam suis laboribus reportet retributionem. Item petimus confirmari electiones in Magistros Novitiorum simplicium: scilicet P. *F. Alberti Lanzillotti* pro Novitiatu Tarenti: *F. Raphelis Pilla* pro novitiatu Suriani, quem litteris patentibus muniri deprecamur, et in ejus defectum P. *F. Dominici Bilotta*; tandem pro novitiatu Pinnae *F. Enrici Bucci*, si aetas fert.

Pro locis Studiorum.

Art. 13. Petimus ordinari, novitios studentes Nationis Aprutinae colligendos iri in conventu Civitatis Pinnae: et alios, Nationis Apulae, in conventu Neritonensi: et illos, Nationis Calabrae, in Conventibus Suriani, et S. Georgii. In his omnibus sint studia Theologiae, et Philosophiae. Exceptis studentibus formalibus, cujuscumque Collegii, et Nationis, qui vestiarium et ducatos sex pro *summa* ex propriae filiationis conventibus percipere debent, ceteris studentibus, sive Sacerdotibus, sive Novitiis, Conventus assignationis teneantur praebere Cibaria, Vestiaria, aliaque solita emolumenta, juxta Nationis consuetudinem.

Art. 14. Petimus, ut Conventus Tranensis, Nationis Apulae, erigatur in studium generale, in quo sex sint studentes formales.

Item, in eo ut transferatur Educandatus; Conventus enim, et civitas Tranensis locus est opportunior huic adolescentium seminario. Hi receptissima methodo P. Magistri Viti Buonsanto instituantur.

Item petimus, ut conventus Baritanus et alius Gallipolitanus sint designati ad juvenes, qui dogmaticae theologiae incapaces sunt, in moralibus disciplinis instituendos. Item pro Conventu S. Mariae ab Arcu, nationis Neapoletanae, et item pro conventu Neocastrensi, Nationis Calabrae.

Pro Missionibus.

Art. 15. Repetitis Episcoporum Regni instantiis, pro missionibus peragendis, annuentes, definivimus, et instituimus, in singulis Nationibus Rectores Missionis, sub titulo *S. Vincentii Ferreri*, nimirum ad. R. P. Magistrum *F. Josephum Campanile* pro Natione neapolitana: A. R. P. Mag. *F. Paschalem Calò*, pro Natioue Apuliae: Ad. R. P. Magistrum *F. Joannem Petrum Marchesano* pro Natione Aprutina: et R. P. Predicatorem Generalem *F. Hycinthum Mondelli*, pro natione Calabra. Singuli Rectores socios missionarios, juxta opus, sibi eligant. Rector missionis, Nationis neapolitanae sit etiam Rector sic dictae *Sciavaca.*

Aliae Ordinationes.

Art. 16. Petimus, ut parvus Conventus Scurculae sit erectus in Vicariatum nationis Aprutinae; et ex quatuor filiis Clericis, duo tantum, antiquioris professionis, P. *F. Angelus Jacianci*, et Novitius *Dominicus Nuccitelli* declarentur conventus Scurculae filii, duo vero alii h. e. novitius *Buontempo* et novitius profes. *Angeloni* remaneant filii Maliani. Maliani autem Conventus, ex propriis redditibus, augeat dotationem conventus Scurculae in summam aliorum ducatorum quadraginta septem, adeo ut hic habeat dotationem ducatorum *bis centum.* Ad onus vero *Fundiariae* teneatur deinceps Scurculae Conventus.

Art. 17. Petimus, confirmari decretum quo definitur, posse denuo ad habitum admitti ex-religiosos, moribus claros; dummodo secularizationis Brevi renuntient, ac pensiones suas cum Conventus, in quo sint filii, redditibus cumulent, juxta Regale Decretum. *Item* petimus, eos, etsi ad habitum receptos, qui vel Brevis renunciationem neglexerint, quique pensiones cumulare renuerint, expellendos esse. *Illi* tandem, qui Brevis renunciationem minime egerint, quique, pravis moribus conspurcati, habitum Ordinis cum dedecore perferunt, pror-

sus ab Ordine expellantur. Priores vero, qui tales perversos tollerant, poenae absolutionis ab officio sint obnoxii.

Art. 18. Ad instantiam Conventus S. Antonii de Pausilippo, definivimus ut Conventus S. Dominici Majoris dotationem, ab Alta Commissione Patrimonii Regularis adsignatam, prout ipse eam nomine Conventus S. Antonii recepit, restituat. Petimus, id confirmari auctoritate etiam Reverendissimi.

Datum in Conventu S. Dominici Majoris die 10 Maii 1830.

F. *Aloysius Montera Mr. et Praeses.*

Pr. Mag. *Fr. Joachim Perna Ex-Provincialis primus definitor.*

Pr. Mag. *F. Paschalis Calò secundus Definitor*

P. Mag. *F. Raymundus Caroselli tertius Def.* ec.

P. Bacc. *F. Vinc. M. Grisolia quartus Def.*

P. Mag. *F. Joannes Talia Seg.*

UNIVERSIS AD. REV. PATRIBUS, ET FRATRIBUS PROVINCIAE NOSTRAE REGNI SICILIAE CITRA PHARUM SALUTEM ET SPIRITUS SANCTI GRATIAM.

Quoniam ex legibus Ordinis sancitum manet (in cap. Gen. Valent. 1647. Ord. ult.) ut Acta Capitulorum Provincialium ad Caput Ordinis mittantur, quatenus videat, et juxta arbitrium suae prudentiae quae admittenda sunt approbet; ideo in hoc officio, licet immerentes constituti, perlectis et consideratis quae in his statuta sunt, taliter ordinanda et approbanda decrevimus.

Ac in primis, juxta formam canonicam Provincialis, Diffinitoris Generalis, Sociique electiones declaramus; idemque dicendum de electionibus Diffinitorum Capituli Provincialis; propter quod approbantes confirmamus.

Admittimus postulationem Rev. F. Bacc. *de loco* Fratris Dominici Tammaro, dummodo doceat de privilegio, de necessariis requisitis, nihilque ipsi ad obtinendum opponi.

Petitio pro Reverendo Pat. Lect. F. Ignatio Invitti opponitur nostris Legibus (ex Const. Ord. dist. 2. cap. 14. de stud. tex. x. et in declarat. sub lit. v.) ideo admittere non possumus. Per eamdem rationem rejicimus petitionem pro Reverendo P. F. Aloysio Pugliese, cui injungimus, ut ostendat approbationem ad Gradus Magisterii. Tandem, quoniam, ut asseritur, Reverendus P. lect. F. Marianus Ricciardi habet requisita pro Gradu Bacc. de loco obtinendo, ideo stet petitio.

De Graduatis ad alia officia transitum facientes: in primis acceptamus postulationem Reverendi F. Dominici Liberatore pro Praed. Gen. Item ut R. P. F. Hyacinthus Mondello, olim. Praed. Gener. Montisleonis transferatur ad Conventum S. Georgii, et F. Aloysius de Chiara, olim Conventus Celici, ut sit Praed. Gener. Conventus Cosentiae. Tandem de aliis ad idem Officium vocatis sit valida postulatio, quoties requisita legis (ex Const. dist. 2. cap. 16. tex. v. et Cap. 12. tex. v. item cap. Salmat. 1551. et Bonon. 1748) in sui favorem ostendant.

Ulterius pro petitionibus pertinentibus ad Magistros Novitiorum sit rata postulatio pro Reverendo P. F. Vincentio Coiro, si habeat quae in Cap. Valent. (vid. Font. ver. de Magis. Novit. n. 7.) ordinata inveniuntur. Quantum vero ad alias postulationes pro Magis. Novitiorum Conventuum, Consilia Patrum utantur jure suo (ex Const. d. 1. de Nov. tex. unic. ex Sixto v. sub. lit. a.)

Ut autem aliquid dicamus de pertinentibus ad Studium, Notum omnibus facimus relinquere Nos arbitrio et prudentiae Ad. Reverendi P. M. Provinc. quae ad suum pertinent Officium; attamen indulgemus ut studentes Theologi in Conv. Tranensi assignati, probatis de jure probandis, possint gaudere privilegiis studentium formalium, dummodo eorundem onera expleant.

Quia Ordo noster ex prima sui institutione principaliter, essentialiter, et nominatim ad docendum et praedicandum, et ad procurandam proximorum salutem est institutus (ex Prol. Const. tex. 3. sub. lit. h. et d. 1. Cap. 15. de Prof. tex. un. sub lit. i, et dist. 2. cap. 14. de Stud. tex. x. sub lit. t.) ideo approbamus quae de Missionibus paragendis ordinata sunt, et qui ad hoc munus exercendum se praebent sub Nostra recipimus protectione; volumus tamen ut socii eligantur cum assesu P. M. Provinc.

Tandem ut pauca dicamus de ordinationibus in Actis descriptis, primo volumus ut Domus, quae Scurculae ad nostrum Ordinem spectat, consideretur ut simplex Vicariatus, et quod Conventus Maliani tribuat, ut sancitum est in articulo decimosexto; et tandem ut et ex eodem Vicariatu tribuantur *Fundiaria*.

Ulterius confirmamus, quae in articulo decimo septimo de admittendis et rejiciendis Fratribus ordinata sunt: volumus tamen ut in utroque casu certioretur Caput Ordinis, antequam res ad effectum mittatur.

Tandem approbamus quae in ultimo loco disposita sunt circa Conv. S. Dominici Majoris, et S. Antonii de Pausilippo, quoties ex utraque parte Patres consenserint.

Praeter ea quae exposita sunt volumus, ut in quolibet Conv. singulis diebus Fratres nostri vacent communiter in Choro Orationi mentali (ex Const. d. 1. cap. 1. de off. Eccl. tex. 3. sub. lit. l.)

Item injungimus Ad. Reverendo P. M. Provinciali, ut in unoquoque Conventu commune depositum Fratrum vel instituat, vel institutum conservare faciat.

Reliqua omnia, quae ad statum nostrum referuntur, et in dies evenire contingerit, relinquimus prudentiae Superiorum Conventuum, ac praecipue Praesulis Provinciae. Valete, et Mei Sociorumque in Sacrificiis, et orationibus praesentes habete.

Datum Romae in Conventu nostro S. Mariae sup. Minervam die 19 Junii 1830.

Conservus in Domino F. Thomas Ancarani
Vicarius Generalis Ord. Praedicatorum.
F. Ioseph. Rosarius Alberti Mag. et Socius.

A S. E.

Il Signor Commendatore D. Domenico Criteni Consultore della Consulta dello Stato, Delegato per l' impartizione delli Regii Exequatur *di qua dal Faro.*

Il Padre Maestro F. Emmanuele dell' Aversana Procuratore del Vicario Generale de' PP. Domenicani del Regno *Citra Pharum*, dico *Pharum*, espone, come essendogli pervenuti gli Atti annessi del Capitolo Provinciale confirmati dal suo Vicario Generale dell'Ordine da Roma, gli è d' uopo il regale beneplacito, *e l' avrà a grazia* ec. ec.

Il Commendatore Vice Presidente e Delegato per li Regj Exequatur *ne' Dominii di qua del Faro.*

Veduta la Carta Generalizia, spedita in Roma il dì 10 Giugno ultimo, colla quale il Vicario Generale dell' Ordine de' Predicatori avendo esaminati gli atti del Capitolo Provinciale della Monastica Provincia de' Domenicani di Regno di qua del Faro celebrato nel giorno primo dello scorso Maggio, è venuto ad approvarli colle modificazioni in detta Carta espresse.

Si accorda il Real beneplacito: salvi i Reali dritti di S. M., la polizia del Regno, e'l ricorso alla M. S. in caso di abuso. — Napoli li 3. Luglio 1830 — Domenico Criteni — Lo Spedizioniere, Pietro Frenna — Esatto per dritto di Registro duc. 7. e grana 30 — Francescantonio Valle Reg. Usc. — Registrato lib. 4. num. 4850 — Carta Generalizia duc. 7. 30. — Il Controloro Luigi Ventre.